



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

CXXIX. Johann, Bischof zu Verden, vereignet der Propstei Döhre eine herrenlose Wiese, welcher früher dem Kalande zu Döhre und Diesdorf angehört hat, am 21. November 1443.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54934)

CXXIX. Johann, Bischof zu Verden, verzeiget der Propstei Döhre eine herrenlose Wiese, welche früher dem Kalande zu Döhre und Diesdorf angehört hat, am 21. November 1443.

Johannes, dei gratia Episcopus Verdenfis, uniuersis et singulis quos infra scriptum tangit negotium vel quoslibet tangere poterit quomodolibet in futurum sinceram in domino caritatem. Sane dudum patenter recepinus, quod a nonnullis in prepositura Dore ac Distorpe nostre diocesis commorantibus quedam fraternitas, que in vulgari Kaland nuncupatur non nostra nec predecessorum nostrorum prout debuisset auctoritate, ymmo verius secundum sensum eorum proprium esset assumpta et taliter qualiter aliquibus annis obseruata et sic ea facilitate, qua incepit, iam esse desiit, ita quod per carentiam personarum extincta esset penitus et desolata, quibusdam tamen elemosynis et certo prato pro sustentatione dicte fraternitatis empto et comparato remanentibus et absque dominio vero vagantibus. Cum autem predictarum elemosynarum et predicti prati sic in errore vagantium dispositio et ordinatio ad nos nunc censetur deuoluta, et ne mens et intentio dictorum fratrum pratum pro salute animarum comparantium penitus frustretur, sed ut saluti animarum illorum et omnium fidelium defunctorum quantum fieri poterit per fructus dicti prati salubrius prouideatur, idem pratum, quod in vulgari des Kalands wisch nuncupatur et in predicta prepositura Dore iuxta villam Düdschen Horst exstitit situatum, cum omni iure, dominio et proprietate fructu et prouentu ad predictam preposituram et ecclesiam in Dore, cuius collatio et plenaria dispositio ad Episcopum pro tempore dum et quotiens casus vacationis se offert pertinere dinoscitur pleno iure, apponimus, damus et adiungimus in possessionem eiusdem prati dictum prepositum suosque successores per hec scripta ponentes perpetuis temporibus inseparabiliter permauros. Iniungentes tamen et mandantes dilecto nobis Johanni Verdemann, ibidem nunc preposito, singulisque suis successoribus, ut ratione predicti prati quandam memoriam mortuorum instituant teneant et faciant singulis annis perpetuis temporibus in ebdomada proxima ante festum B. Michaelis in ecclesia prepositure predictae in Dore, hoc modo videlicet quatuor temporibus post vesperas in vigiliis mortuorum ad finem existentibus et proxima die sequenti quatuor missas celebrantibus pro animabus omnium fratrum predictae fraternitatis et omnium fidelium defunctorum orantibus humiliter et devote. Et ut hec nostra pia ordinatio firmiter permaneat et in vigore iugiter persistat. Nos sub excommunicationis late sentencie pena districte inbibemus, ne contra nostram presentem ordinationem et preter Prepositi predicti in Dore et omnium successorum expressum consensum et voluntatem quisquam de cetero de predicto prato per se vel per alium directe vel indirecte se intromittat seu predictum prepositum suosque successores in predicto prato impediatur seu impedire procuret quouis modo, Predictae nostre ordinationis transgressorum et contrauenientium absolutionem post publicam denunciationem et partis lese satisfactionem nobis ac nostris successoribus reseruantes. Datum Luneborg, anno a natiuitate domini millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio, in profesto beate Cecilie virginis, nostro sub sigillo presentibus apenso.